

Acta Tribunalium Sanctae Sedis.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.
Sentencia definitiva, 13 abril 2018.
De la revocación de la expulsión del Instituto religioso*

Prot. n. 52455/17 CA

N

Revocationis dimissionis ab Instituto
religioso

(Rev.ma Superiorissa generalis Insti-
tuti X –Congregatio pro Institutis vi-
tae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnan-
te, Pontificatus sui anno VI, die 13
aprilis 2018, Supremum Signaturae
Apostolicae Tribunal, videntibus Em.
mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card.
Mamberti, *Praefecto*, Ludovico Card.
Martínez Sistach, *Ponente*, et Iosepho
Card. Versaldi, atque Exc.mis ac Rev.

* Decreto traducido por Montserrat Leyra Curia.

mis D.nis Stanislao Zvolenský et Philippo Iannone, O. Carm., atque intervenientibus Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Rev.mae Recurrentis, et Cl.mo Andrea Errera, qua Patrono Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, hanc definitivam tulit sententiam.

SPECIES FACTI

1. Rev.da Soror Y (abhinc: Rev.da Soror), die 10 februarii 1965 nata, Institutum iuris dioecesanum X, Z, die 9 iulii 1983 ingressa est, ubi primam professionem religiosam die 1 octobris 1986, perpetuam die 1 maii 1993 emisit.

Quae Rev.da Soror, ab anno 2009 domui in loco v.d. W adscripta, a praefata domo, una cum reliquis Sororibus eidem adscriptis, mense aprili 2014 translata est. Dum omnes Sorores translationi oboedierunt, Rev.da illa Soror domum in loco v.d. Q sitam pergere noluit.

2. Post invitationibus atque conventionibus pluribus inutiliter peractis, die 10 iulii 2014 prior et, die 21 augusti 2014, altera monitio canonica Rev.

dae Sorori missae sunt, sed nullum effectum obtinuerunt. Rev.da Soror exclaustationem petiit, quae reiecta fuit. Die 25 novembris 2014 decretum dimissionis latum est ob pertinacem inoboedientiam legitimis Superioris praescriptis in materia gravi. Quod decretum transmissum fuit Exc.mo Episcopo P atque Rev.dae Sorori. Rev.ma Superiorissa generalis alterum decretum dimissionis die 25 februarii 2015 tulit, quod Exc.mus Episcopus P confirmavit; Rev.dae Sorori dein decretum et confirmatio intimatae sunt.

3. Quod adversus novum dimissionis decretum Rev.da Soror die 21 martii 2015 recursum non autem ad Exc.mum Episcopum P, sed ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae proposuit. Quae Congregatio Rev.dam Sororem die 24 augusti 2015 certior fecit de recurso iuxta can. 700 primo ad Episcopum dioecesanum interponendo. Rev.da inde Soror die 22 septembris 2015 recursum ad Exc.mum Episcopum P proposuit. Dein, die nempe 23 ianuarii 2016, Rev.da Soror ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae recursum hierarchicum proposuit. Quod Dicasterium,

praescripto can. 1739 invocato, die 17 novembris 2016 decretum dimissionis die 25 februarii 2015 latum rescindendum decrevit.

4. Quam adversus rescissionem Rev. ma Superiorissa generalis ad H.S.T. die 13 decembris 2016 provocavit. Recursus a Congressu, coram Em.mo H.S.T. Praefecto die 22 septembris 2017 habito, ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admissus est.

Die inde 28 septembris 2017 formula dubii rite statuta: «An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 17 novembris 2016 latum», atque positis ponendis, Nobis nunc est dubio proposito respondendum.

IN IURE ET IN FACTO

5. Can 601 statuit: «Evangelicum oboedientiae consilium [...] obligat ad submissionem voluntatis erga legitimos Superiores, vices Dei gerentes, cum secundum proprias constitutiones praecipunt».

Qua de re inter causas can. 696, § 1 statutas, propter quas Superior potest

emittere decretum dimissionis, recensetur pertinax inoboedientia: «Sodalis dimitti etiam potest ob alias causas, dummodo sint graves, externae, imputabiles et iuridice comprobatae, uti sunt: habitualis neglectus obligationum vitae consecratae; iteratae violationes sacrorum vinculorum; pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi; grave scandalum ex culpabili modo agendi sodalis ortum; pertinax sustentatio vel diffusio doctrinarum ab Ecclesiae magisterio damnatarum...».

In his casibus, si Superior maior, audito suo consilio, censuerit processum dimissionis esse inchoandum, hoc iter arripendum est (cf. can. 697): 1) Probationes colligat vel compleat; 2) sodalem scripto vel coram duobus testibus moneat cum explicita comminatione subsecuturæ dimissionis nisi resipiscat, clare significata causa dimissionis et data sodali plena facultate sese defendendi; quod si monitio incassum cedat, ad alteram monitionem, spatio saltem quindecim dierum interposito, procedat; 3) Si haec quoque monitio incassum ceciderit et Superior maior cum suo consilio censuerit de incorrigibilitate satis constare et defensiones sodalis insufficientes esse, post quindecim dies ab ultima monitione frustra elapsos, acta omnia ab ipso Superiore maiore et a notario subscripta una

cum responsionibus sodalis ab ipso sodale subscriptis supremo Moderatori transmittat.

Qui Superior, iuxta praescriptum can. 699, § 1 «cum suo consilio, quod ad validitatem saltem quattuor membris constare debet, collegialiter procedat ad probationes, argumenta et defensiones accurate perpendenda, et si per secretam suffragationem id decisum fuerit, decretum dimissionis ferat, expressis ad validitatem saltem summarie motivis in iure et in facto». Dimissio ab instituto religioso finefinaliter regitur praescripto can. 700: «Decretum dimissionis vim non habet, nisi a Sancta Sede confirmatum fuerit, cui decretum et acta omnia transmittenda sunt; si agatur de instituto iuris dioecesanis confirmatio spectat ad Episcopum dioecesis ubi sita est domus, cui religiosus adscriptus est. Decretum vero, ut valeat, indicare debet ius, quo dimissus gaudet, recurrendi intra decem dies a recepta notificatione ad auctoritatem competentem. Recursus effectum habet suspensivum».

6. Superior gaudet facultate decretum impugnatum ad normam can. 1739

rescindendi: «Superiori, qui de recursu videt, licet, prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel, si id Superiori magis expedire videtur, emendare, subrogare, et obrogare».

Quod legis praescriptum probata doctrina explicat: «[E]l Superior jerárquico es autoridad administrativa, y resuelve el recurso *administrando*, gobernando *in actu* sobre la misma materia objeto de la decisión del autor del acto impugnado, que ha pasado a ser de su competencia; y sus atribuciones sobre la cuestión son las mismas que tenía el autor del acto, pero en un grado jerárquicamente superior [...] en su [canonis scilicet 1739] redacción se tiene en cuenta, ciertamente, la consideración de cuestiones de legalidad, de requisitos de validez, pero también se incluye la posibilidad de resolver el recurso atendiendo a motivos de oportunidad, de conveniencia, de buena administración, etc.» (J. MIRAS, *Comentario exegético al Código de Derecho canónico*, IV/2, Pamplona 1997², p. 2159).

Quoad rescissionem prae oculis haec tenenda sunt: «Puede suceder también que el acto impugnado se vea afectado por algún vicio que no implique su nulidad absoluta o *ipso iure*, pero que sí podría dar pie a su anulación a instancia del interesado,

que en Derecho canónico se denomina tradicionalmente rescisión (cfr, p.j., cc. 125 § 2, 126, 1451 § 2). [...] En estos casos [...] la decisión del Superior no es meramente declarativa [...], sino *constitutiva* (causante de esa nulidad), por lo que la anulación producirá efectos desde su fecha (*ex nunc*), y no automáticamente desde el momento de la emisión del acto anulado» (ibidem, pp. 2161-2162; cf. etiam J.A. ARAÑA, *Rescisión*, in *Diccionario General de Derecho Canónico*, VI, Pamplona 2012, pp. 952-953).

Circa rescissionem, nostra in iuris provincia, id est recursu contentioso administrativo, insequentes propositiones ad rem tenendae sunt: rescissio praesupponit actum administrativum validum; est actus constitutivus, non autem mere declarativus; causam supponit iustam, rationabilem, habitata ratione adiunctorum casus et gravitatis laesionis.

Proinde, Superior qui validum actum administrativum impugnatum rescindit, legem violare censendus si et quatenus rescissio causa nulla vel incongrua seu irrationabili vel nulla illegitimitate aut laesione illata nitatur. In casu videndum est utrum necne violationes legis in dimissionis decreto habeantur, quae illegitimitatem et proinde rescissionem importent.

7. Prius dimissionis decretum ante confirmationem Rev.dae Sorori notificatum est: hoc est primum motivum in impugnato decreto adductum. Ex praescripto tamen can. 700 decretum dimissionis vim non habuit, qua ab Auctoritate ecclesiastica competenti nondum confirmatum. Transmissio propterea decreti dimissionis, confirmatione Auctoritatis ecclesiasticae experti, nullum peperit effectum neque, proinde, nocere potuit.

Rev.da Soror insuper illam praeproperam notificationem domi, prope nempe sororem suam, non autem in domo religiosa degens accepit.

Decretum prius revocatum est sive directe sive per subrogatum, seu novum, dimissionis decretum: qua de re ergo ne obiectum quidem recursus esse potest nec, ceterum, praeiudicium ullum in casu parere potuit.

8. In decreto Congregationis impugnato etiam animadvertitur: «In the canonical warnings, specially in the second, the right for defense is not (explicitly) accorded to the religious in question contrary to the prescription of canon 697, 2º».

Quam circa animadversionem ad praescriptum can. 697, n. 2 attendendum est: «[S]odalem scripto vel

coram duobus testibus moneat cum explicita comminatione subsecuturæ dimissionis nisi resipiscat, clare significata causa dimissionis et data sodali plena facultate sese defendendi; quod si monitio incassum cedat, ad alteram monitionem, spatio saltem quindecim dierum interposito, procedat».

Plena facultas, quæ datur, sese defendendi causa dimissionis dimetienda est, et in casu translationis, rationibus iisdem in praeceptis datis et libero accessu ad auctoritatem monitionis subscribentem.

Omnia a lege requisita in monitionibus de quibus in casu plane inveniuntur.

Nam, priore monitione vix recepta, Rev.da Soror litteris electronicis ad Superiorissam generalem datis, suo modo sese defendere praesumpsit et congruam obiectioni porrectae responsionem ab ipsa Superiorissa Generali, litteris electronicis, ante alteram monitionem recepit. Altera autem monitio canonica inclusit mentionem commercii epistolaris post priorem habiti, quod implicat idem commercium pergere posse. Rev.da Soror ceterum suum defensionis ius exercuit etiam per petitionem exclaurationis. Ex quibus satis patet quod Rev.da Soror sese defendit in una et altera monitione, id est, illa exercuit suum ius defensionis.

9. In decreto Congregationis impugnato dein animadvertitur: «The acts not signed by the notary as required by the article 177 of the constitutions». Sed Rev.da Soror numquam de violatione praecepti art. 177 contendit, semper vero de art. 176 egit et tantum quoad monitiones subscriptionis notarii expertes.

Art. 176 Constitutionum ad verbum transcribit praescriptum can. 695, § 2, quod de subscriptione notarii cavet quoad acta transmittenda. Sed nostro in casu non agitur de dimissione ad normam can. 695, sed de dimissione ad normam can. 696. Quaestio proinde reducenda est ad subscriptionem notarii monitionibus haud appositam. Quam subscriptionem tamen nulla norma requirit.

Liquet differentia inter can. 695, § 2 et 697, n. 3. Nostro autem in casu nec datur suppositum, quia ipsa Superiorissa generalis dimissionis processum instituit atque usque ad terminum ipsamet conduxit: «Toto coelo – ut ipsis Rev.mi Promotoris Iustitiae verbis utamur – inter se differunt praescriptum quo notarii subscriptio ad actum necessaria est [...], et praescriptum quo notarius fidem facit de actorum

transmissorum vel transmittendorum authenticitate [...].

10. Impugnatum Congregationis decretum quoad defensionis ius de-nuo improbat: «Having found that the Appellant was non accorded the opportunity to defende herself at every stage of the process».

Quod ex actis vero haud constat. In primis, in ipso impugnato Congregationis decreto sub n. 16 enumerantur colloquia et occursus cum Rev. da Sorore. Secundo, inter alteram monitionem et alterum dimissionis decretum sex menses intercesserunt. Tertio, Exc.mus Episcopus P, die nempe quo prius dimissionis decretum recepit, Rev.dam Sororem ad colloquium invitavit, quin immo die 31 decembris 2014 ante scilicet alterum dimissionis decretum, eidem Rev.dae Sororis occurrit.

Rev.da Soror insuper defensionis iure gavisa est: eadem Soror aptissima consultatione cuiusdam satis periti in iure canonico continuo gavisa est ad suam defensionem peragendam. Si ad praeceptum sub vinculo oboedientiae impositum oculos convertimur pari certitudine nihil ad rem animadvertendum est In priore recursu

ad Exc.mum Episcopum P Rev.da Soror obiecit: «Since the allegations stood unproved I insisted that I would go to Mysore only if my moral and personal integrity was upheld», quibus verbis Rev.mus Promotor Iustitiae recte subdit: «Quod significat ad libitum!». Congregatio ceterum nullam violationem in decernendo ex parte Rev.mae Superiorissae patratam contendit.

12. In casu ergo nullum par argumentum adductum constat contra gravem causam, id est, inoboedientiam monitioni Superiorissae generalis, quae est externa et imputabilis ob Rev.dae Sororis voluntatem et denique etiam iuridice comprobata ex superius dictis. Proinde inoboedientia Rev.dae Sororis legitimis praescriptis Superiorissae generalis in materia gravi ad normam can. 696, § 1 legitima dimissionis causa habenda est in casu.

Nec causa congrua nec legis violatio nec laesio Rev.dae Sorori illata ad legitimam rescissionem concedendam apparet in casu.

CONCLUSIO

13. Omnibus tum in iure tum in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubiis propositis respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 17 novembris 2016 latum. Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant emolumentum.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 13 aprilis 2018.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Ludovicus Card. MARTÍNEZ SISTACH, *Ponens*

Iosephus Card. VERSALDI

+ Stanislaus ZVOLENSKÝ

+ Philippus IANNONE, O. Carm.